



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Veritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

& quarto, id est, Petro, & Martino; quia cum non sunt iuramenta vera acceptata, solum continent vinculum Religionis, ad quod Episcoporum, & privilegiorum potestas extenditur.

Aliis vero duobus, secundo, & tertio, id est, Francisco, & Antonio, dico neminem posse. Ratio est, quia hæc sunt vota, vel iuramenta emissa principaliter, ut supponimus, in commodum tertij acceptantis; ad quæ nec Episcopi, nec Delegati potestas, quæ est ad ea, quæ in solum Dei obsequium præstantur, extenditur: eo ipso enim, quo sunt acceptata, nec intervenit injuria ex parte recipientis; involunt vinculum iustitiæ, quod solvere nulla auctoritas valet, nisi ob bonum publicum, &c.

3. Denique Petrus propter amorem Dei vovit, iuravitque puellam inopem indeterminatè ducituram (supponamus hoc votum esse validum; de quo tamen dicam infra, c. 15, §. 3, m. 4.) mox determinatè Berta id manifestavit, quæ acceptavit promissionem. Antonius pari modo vovit, iuravitque elemosynam alicui pauperi, seu Ecclesiæ, nullam signando, erogatum; mox determinatum pauperem, seu Ecclesiam acceptantem elegit; queritur, an Petrus possit aliam puellam inopem ducere, & Antonius alteri pauperi ab electo eam stipem largiri? Rursus, qui dispensare in his, vel commutare valeat?

Dico, posse Petrum, quantum est ex vi iuramenti, vel voti, aliam ducere; & Antonium alteri stipem erogare: ita Sanch. lib. 4. in Dec. c. 41, n. 14. Castro tom. 3. in de voto, disp. 1. c. 16, num. 7. Ratio est, quia cum hæc promissiones non nisi Deo directæ sint, non possunt prædicta Berta, & Ecclesiæ dici legitimè acceptare; acceptat enim legitimè aliquis id, quod illi promittitur: nunc verò nihil ipsis promissum fuit: ergo si acceptant, illegitimè, & nulliter acceptant. Hic ergo casus est longè diversus, ab eo, quem posuimus modò §. 3. n. 2. in quo votum, vel iuramentum emissum supponitur solum in hominis commodum, atque hunc legitimè acceptasse propter eandem rationem, in utroque foro poterunt dicta iuramenta ab Episcopo, vel in foro conscientie à privilegiato dispensari, seu commutari, perinde ac cætera solum retinentia vinculum Religionis, de quibus dictum est supra. Si iuramentum, vel votum sit principaliter in obsequium Dei, sed minus principaliter in commodum hominis, etiam determinati, sique acceptaverit, dicam cap. 17. de Voto, §. 2.

4. Dixi (quantum est ex vi iuramenti, vel voti) nam si Petrus sponsalia cum dicta Berta iniisset, requirerentur causæ à Doctoribus apud Sanch. 4. de matr. lib. 1. d. 55, explicatæ, ad ea dissolvenda, aliâque ducendam. Pari modo, si Antonius, quando elegit dictum illum pauperem, vel Ecclesiam, se principaliter in commodum ipsorum nova iura promissione illis acceptantibus obligasset: essemus in alio casu, in quo est legitima jam acceptatio, ubi dispensare, ut sæpe docuimus, nullus potest. Nam si principaliter fuisset in obsequium Dei, & minus principaliter in ipsorum utilitatem, jam promissi me dicturum, cum de Voto, cap. 17. §. 2.

CAPUT VIII.

De Adjuratione Juramento affini.

§. I. De Adjuratione in universum.

1. SI quis ita obtestetur: Hoc præsta per amorem, quem Deo, Sanctis, tuo Patri geris: Per vitam tuam, per vitam Patris tui hoc age. Item si sic te quis terreat aliquid imperando: In virtute Dei, vel Sanctorum, in nomine Regis, id gere, dicitur te adjurare. Adjuratio igitur non est iuramentum, nec deprecatio: Sic Suar. Sanch. Castr. l. mox cit. alique, sed imprecatio, seu jussio per aliquam rem dantem moraliter, hoc est, in conceptu hominum ipsi imprecationi, seu jussioni vim. Et quidem si per Deum, vel per ea, quæ ad Deum pertinent, exhibetur, est actus Religionis Latræ; si per Virginem, Hyperdulæ, si per San-

ctos, Dulæ; si per homines, est actus politæ, humanæ, quæ imprecationis.

2. Hinc fides primò, omnes creaturas adjurari posse; omnes, inquam, quæ jussionem, imprecationemque percipiunt, quales sunt Rationales: Irrationalia tamen, improprie; quatenus Deo obedientiam physicè præstant, adjurantur: Ut si monti dicatur à Sancto viro: In nomine Christi, transfer te in alium locum; quo pacto verè Deus adjuratur, ut scilicet in te assistat.

3. Vides secundo, adjuratum ex vi solius adjurationis nequaquam obligari ad rem præstam: quia adjuratio est tantum inducta ad inducendam majorem quandam reverentiam, vel timorem ipsi personæ adjurate, non verò ad inducendam obligationem, qualem inducit commemoratio juramenti facti, vel obedientiæ votum, præceptumve. Ne autem temerè contra virtutem Religionis execratur adjuratio, requirit eisdem proportionaliter eomites, quos Juramentum: nempe Veritatem, Justitiam, Judicium.

Veritas.

4. Hæc consistit in eo, quòd non fiat adjuratio per falsos Deos, v.g. per Saturnum, per Jovem, &c. vel per eum, cui non debetur reverentia, v.g. per Luciferum, per demones, &c. quibus modis peccatum esse mortale non est: Jobian.

Consistit etiam in eo, quòd non intermiscatur ali- quod in adjuratione mendacium; ut si quis occultus dives, elemosynam petat, ut pauper, propter amorem Dei: At peccatne mortaliter? Respondeo, si hic peccet contra justitiam, si non item, de qua re alibi, certe non peccat, nisi venialiter contra Religionem: ita Sanch. lib. 2. in dec. c. 42, n. 5. citans rectè Suarium, quia inducere alium ad præstandum bonum, etiam cum fictione, & mendacio levi, ut hic supponitur, non est gravis Dei irreverentia. Neque enim juncassumitur Deus ad iniquitatem patranda, ut contendit Cast. l. 3. tr. 14. d. 54. de adjur. p. 1. n. 5. immeritò, citans Suarium: assumitur enim ob bonum actum faciendum ex parte dantis elemosynam, licet, quia ex parte recipientis is actus bonus non fit, aliqua committatur, nempe venialis irreverentia. Non esse autem mendacium leve: Etis miraculis ad fidem allicere, suo loco docebitur.

Justitia.

5. Hæc consistit in eo, ut non petatur, nisi res justa, & honesta. Ita Sanch. Castro Pal. l. c. alique. Quare si quis per Deum, vel Sanctos, etiam sistendo in illis, adjuret quempiam ad committendum peccatum mortale, præter ipsum mortale in propria materia, mortaliter peccat contra Religionem; si ad committendum veniale, venialiter: Quia ibi gravis, hic levis est irreverentia: At si per hominem, v.g. per vitam Patris, amici consanguinei, adjuret quis ad patranda sive mortale, sive veniale peccatum, non addit aliud peccatum præter peccatum, quod petit, quia ex hac adjuratione non transfertur culpa gravæ petitionis in aliam speciem.

Indicium.

6. Hoc in eo consistit, ut adhibeatur modus discretus, & prudens. Ita Suar. lib. 4. de Jur. qui est de Adjuratione, cap. 4. n. 5. §. 11. quare non decet passim, & sine occasione per Dei, & Sanctorum nomen aliquem adjurare: esset enim culpa, sed certe venialis, sicut est juramentum verum, quod sine consideratione in vanam emittitur. Rursus, ne adjuretur Deus, & Sancti imperativè, nec demon deprecativè, quæ ut patet, essent mortalia peccata: nec homo subditus, imperativè, quod esset mortale, si injustitia, quæ ipsi fieret sic imperando, esset ge- vis: venialis, si modica. Irrationalia, sive imperativè, sive deprecativè, eo modo propriè, ac si intelligeret, adjurare, vanum certè est, & consequenter veniale: potest tamen aliquando mortale, & superstitiosum esse, si fiet